

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

### **Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum**

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.  
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus  
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot  
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

Qui D. Johannis Gerhardi Continuationis Partes Tertiam, Quartam,  
Quintam, Eamque postremam complectitur - Denuo nunc in Lucem prodit,  
Cum jndicibus ...

**Gerhard, Johann  
Chemnitz, Martin  
Leyser, Polycarp**

**Hamburgi, MDCCIII**

**VD18 90617819**

Caput CLXXXIII. Judas Securis Et Dormientibus Apostolis Supervenit,  
Christus Salvum Conductum Eis Impetrat.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-17617**

bus per preces & Angelicam consolationem, ac fe-  
data trepidatione & metu subacto hostibus adeoq;  
ipsi morti obviam progreditur. Eandem virtutem  
seriæ precationis ipsimet etiam experiemur. Ps. 138  
v. 3. *Cum invocaverote, exaudies me, multiplicabis in ani-  
ma mea virtutem.* Porro quando Christus dicit, *ecce  
appropinquavit, qui me tradet*, tunc loquitur non de  
traditione Patris cœlestis, sed de traditione Judæ,  
illa est bona & salutaris, quia procedit ex dilectione  
erga genus humanum & respicit finem bonum vi-  
del. generis humani redemptionem, hæc vero est  
pessima & damnabilis, quia procedit ex avaritia  
& respicit finem malum, videl. odii & invidiæ ex-  
pletionem. Atque hæc est notabilis illius Historiæ  
de precibus, angore & sudore Christi sanguineo  
qualiscunque explicatio, ex qua coronidis vice  
exemplum *in Davidas* petere possumus. 1. Sicut  
Christus sæpe fuit in hortum illum secedere solitus  
in quo horrores mortis & inferni sibi sustinendos  
esse noverat, sic memoria mortis frequenter ani-  
mo nostro observetur & sapius ad eam illa loca,  
in quibus de exitu nostro admonemur. 2. Sicut  
Christus imminente hora passionis & mortis incipit  
angi & expavescere, sic mortem non temerè aut le-  
vicolè contempnamus, quia in carne nostra adhuc  
habitat peccatum, quod est mortis stimulus. 3. Ex su-  
dore Christi sanguineo efficaces in agone mortis  
consolationes petere possumus, sicut Georg. Fabri-  
cius in supplem. Chronici Misnenlis refert, Præpo-

situm quendam Afranum Seniore a juniore ejus-  
dem ordinis petiisse, ut in agone mortis sudoris  
Christi sanguinei se admoneret, quod cum postea  
fieret, cum alacritate quadam ipsum esse mortu-  
um. Sanguis Christi est balsamus vulnerum no-  
strorum, medicina animæ & alexipharmacum pec-  
cati. Cyrill. lib. 10. thesaur. cap. 3. *Sicut nisi mor-  
tuus esset (Christus) mors non exstinguetur: sic nisi timu-  
isset, non essemus nos à metu liberati* 4. Sicut Chri-  
stus per preces robur cœlestè advocat, sic immi-  
nente morte precibus insistamus orantes humili-  
ter, perseveranter & fiducialiter. 5. Sicut Christus  
voluntati divinæ se submittit & calicem sibi bibe-  
ndum intelligens voluntariè mortem adit, sic divi-  
næ voluntati nos subjiciamus ac spontè moriendo  
Deum sequamur. 6. Sicut Christus à tristi mortis  
specie oculos avertit, eosdemque ad securam re-  
surrectionem vertit. *Cum surrexero*, inquit, *præce-  
dam vos in Galileam*: sic spe resurrectionis contra  
mortem nos solemur. 7. Sicut Christus de disci-  
pulis suis sollicitus est, præmonet eos de scandalo,  
hortatur ad vigilantiam & preces, ac prospicit eis  
de salvo conductu: sic antequam mors nos oppri-  
mat, disponendum de liberis, iidemque officii sui  
admonendi sunt &c. Hæc membra latius deduci  
& explicari possunt.


*Christe tuas maror, sudorque cruentus & angor  
Angoris queso sit medicina mei.*

## CAPUT CLXXXIII.

JUDAS SECURIS ET DORMIENTIBUS APOSTOLIS  
SUPERVENIT, CHRISTUS SALVUM CONDUCTUM EIS  
IMPETRAT.

MATTH. 26. v. 47. MARC. 14. v. 43. LUC. 22. v. 47.  
JOHANN. 18. v. 3.

## RATIO ORDINIS.

 Onnexionis seriem ostendunt Evange-  
listæ, quando tradunt ipsi illis verbis,  
quæ Christus post tertias preces ad di-  
scipulos protulit, Judam proditorem  
cum cohorte intervenisse. *Adhuc ipso  
loquente* (dicunt) *ecce venit Judas*. Quidam statu-  
unt, Christum tres horas precibus tribuisse, idque  
colligunt ex eo, quod post primas preces ad discipu-  
los reversus Petro dicit: *An non potuisti unâ horâ vi-  
gilare?* ex quo colligunt, primas preces per  
integrum horæ spacium durasse, ac tantum tempo-  
ris tribuendum esse secundis, similiter etiam tertiis  
precibus, utque per tres horas in cruce perstitit, ita  
tres horas perstitisse in oratione. Sed ostendimus  
superius, hanc conjecturam esse incertam. Juda ex  
coenaculo discedente noctem fuisse dicit Johannes  
cap. 13. v. 30. post cujus discessum Christus habuit  
prolixam concionem tribus distinctis capitibus de-  
scriptam, postea preces c. 17. descriptas ad Patrem  
cœlestem fudit ac cum discipulis trans torrentem.  
Cedron in montem oliveti abiit, ante *μεσονυχτιον*  
in urbem captivus est reductus, ut ex circumstantiis  
Historiæ postea ostendemus, ex quo intelligitur

horam unam atq; alteram angori & precibus Chri-  
sti tribuendam esse. Illud utilius observatur, quod  
Christus post angorem animæ etiam corporis cru-  
ciatus sustinere voluit. Quia enim homo & animâ &  
corpore peccaverat, idè Christus pro peccatis sa-  
tisfacturus & animâ & corpore pati voluit, ut esset  
precium sufficiens & perfectum, & quia anima est  
primum peccati subjectum, ex quo primò pecca-  
tum oritur & in corpus transfunditur, idè etiam  
Christus primum in sanctissima sua anima horrores  
& dolores sustinere voluit, medicinam animæ no-  
stræ vulneribus paraturus. Potest & hoc aliquid mo-  
nere, quod Christus Patris cœlestis judicio prius se  
sistit, antequam Judâ proditore duce captivatus  
judicio Ecclesiastico & politico sistitur, quia nisi Pa-  
ter cœlestis onus passionis humeris ipsius in judicio  
suo imposuisset, nec Ecclesiasticum nec politicum,  
judicium quicquam suis iniquis accusationibus &  
condemnationibus profecisset. Denique ut Chri-  
stus per preces se passioni parat, sic eadem pas-  
siones nobis erunt salutaris, quæ precibus fuerint  
sanctificata & cum precibus exceptæ.

JUDÆ

JUDE PRODITORIUS IN HORTUM ADVENTUS DISCIPULIS INTERIM DORMIENTIBUS.

MATTH. 26.

47. Καὶ ἐπὶ αὐτῷ λαλῶντι, ἰδὲ Ἰούδας εἰς τῶν δωδεκά ἦλθε καὶ μετ' αὐτῷ ὄχλος πολὺς μὲν μαχαιρῶν καὶ ξύλων δὲ τῶν δρχιερέων καὶ πρεσβυτέρων ἔλαβεν.

47. Adhuc eo loquente, ecce Judas unus de numero duodecim, venit, & cum eo turba multa cum gladiis & fustibus missi à Principibus Sacerdotum & Senioribus populi.

MARC. 14.

43. Καὶ ἐν τῷ καιρῷ ἐπὶ αὐτῷ λαλῶντι, ἰδὲ Ἰούδας εἰς τῶν δωδεκά, καὶ μετ' αὐτῷ ὄχλος πολὺς μὲν μαχαιρῶν καὶ ξύλων δὲ τῶν δρχιερέων καὶ τῶν γραμματέων καὶ τῶν πρεσβυτέρων.

43. Et continuo adhuc eo loquente accedit Judas, qui erat unus ex duodecim, & cum illo turba multa cum gladiis & fustibus, à summis Sacerdotibus & Scribis & Senioribus.

LUC. 22.

47. Ἐπὶ ᾧ αὐτῷ λαλῶντι, ἰδὲ ὄχλος ὁ λεγόμενος Ἰούδας εἰς τῶν δωδεκά προσήρχετο αὐτῶν.

47. Adhuc autem eo loquente, ecce turba & qui vocabatur Judas, unus de duodecim antecedebat eos.

JOHANN. 18.

- 3. Ὁ Ἰούδας λαβὼν τὴν σπεῖραν καὶ ἐκ τῶν δρχιερέων καὶ Φαρισαίων ὑπηρέτας ἔρχεται ἐκεῖ μὲν Φανῶν καὶ λαμπάδων, καὶ ὁ σπῶν.
- 4. Ἰησοῦς ἂν εἰδὼς πάντα τὰ ἐρχομένα ἐπ' αὐτὸν, ἐξελθὼν εἶπεν αὐτοῖς, τίνα ζητεῖτε;
- 5. ἀπεκρίθη αὐτῷ Ἰησοῦς τὸ Ναζωραῖον, λέγῃ αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς ἐγὼ εἰμι, εἰσῆκει ἢ καὶ Ἰούδας ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ μετ' αὐτῶν.
- 6. ὡς ἂν εἶπεν αὐτοῖς, ὅτι ἐγὼ εἰμι, ἀπῆλθον εἰς τὰ ὄπισθα καὶ ἔπεσον χαμεῖ.
- 7. Πάλιν ἂν αὐτοῦ ἐπηρώτησε, τίνα ζητεῖτε εἰ ἢ εἶπον, Ἰησοῦν τὸν Ναζωραῖον.
- 8. ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς, εἶπεν ὑμῖν, ὅτι ἐγὼ εἰμι. εἰ ἂν ἐμὲ ζητεῖτε, ἀφετε τούτους ὑπάγειν.
- 9. ἵνα πληρωθῇ ὁ λόγος ὃν εἶπεν, ὅτι οὓς δέδωκάς μοι ἐκ πατέρω σου ἐξ αὐτῶν ἔδωκα.

- 3. Judas ergo cum accepisset cohortem & à Pontificibus ac Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis ac facibus & armis.
- 4. Jesus itaq; sciens omnia, que ventura erant super se, processit ac dixit eis, Quem queritis?
- 5. Responderunt ei Jesus Nazarenum. Dicit eis Jesus, ego sum. Stabat autem & Judas qui prodebat eum cum ipsis.
- 6. Ut ergo dixit eis, ego sum, abierunt retrorsum & ceciderunt in terram.
- 7. Iterum ergo interrogavit eos, quem queritis? Illi autem dixerunt, Jesum Nazarenum.
- 8. Respondit Jesus, dixi vobis, quod ego sim. Si ergo me queritis, sinite hos abire.
- 9. Ut impleretur sermo quem dixerat, Ex his, quos dedisti mihi, non perdidisti quenquam.

DE COAGMENTATIONE CIRCUMSTANTIARUM HUIUS HISTORIÆ.

Tatianus statuit, Christum tribus vicibus seiscitatum esse quem querant, illosque toties respondisse Jesum Nazarenum: ac Domine subji-

ente, Ego sum, in terram prolapfos esse. Sed Christus non ter sed bis tantum id quaesivit, nec illi bis vel ter, sed semel duntaxat ceciderunt.

Harmonia hujus Historie.

Καὶ ἐν τῷ καιρῷ ἐπὶ αὐτῷ (Χριστῷ) λαλῶντι, ἰδὲ ὁ λεγόμενος Ἰούδας εἰς τῶν δωδεκά λαβὼν τὴν σπεῖραν καὶ ἐκ τῶν δρχιερέων καὶ Φαρισαίων ὑπηρέτας (ὡς δρχινοὶ) (καὶ) ἔρχεται (ἦλθεν) ἐκεῖ καὶ μετ' αὐτῷ ὄχλος πολὺς μὲν Φανῶν καὶ λαμπάδων, μὲν μαχαιρῶν καὶ ξύλων καὶ σπῶν, δὲ τῶν δρχιερέων καὶ τῶν γραμματέων καὶ πρεσβυτέρων ἔλαβεν καὶ προσήρχετο αὐτῶν. Ἰησοῦς ἂν εἰδὼς πάντα τὰ ἐρχομένα ἐπ' αὐτὸν, ἐξελθὼν εἶπεν αὐτοῖς, τίνα ζητεῖτε; ἀπεκρίθη αὐτῷ Ἰησοῦς, τὸν Ναζωραῖον, λέγῃ αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, ἐγὼ εἰμι, εἰσῆκει ἢ καὶ Ἰούδας ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ μετ' αὐτῶν. ὡς ἂν εἶπεν αὐτοῖς, ὅτι ἐγὼ εἰμι, ἀπῆλθον εἰς τὰ ὄπισθα καὶ ἔπεσον χαμεῖ, πάλιν ἂν αὐτοῦ ἐπηρώτησε, τίνα ζητεῖτε; οἱ ἢ εἶπον, Ἰησοῦν τὸν Ναζωραῖον.

Et continuo adhuc eo (Christo) loquente, ecce, qui vocabatur Judas, qui erat unus ex duodecim cum accepisset cohortem & à Pontificibus ac Pharisæis ministros accedit & venit illuc & cum illo turba multa cum laternis ac facibus cum gladiis & fustibus & armis missi à summis Sacerdotibus & Scribis & Senioribus, & antecedebat eos. JESUS itaq; sciens omnia que ventura erant super se processit ac dixit eis, quem queritis? Responderunt ei Jesum Nazarenum. Dicit eis Jesus, ego sum. Stabat autem & Judas, qui prodebat eum cum ipsis. Ut ergo dixit eis, ego sum, abierunt retrorsum & ceciderunt in terram. Iterum ergo interrogavit eos, quem queritis? απε-

ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς, εἰπὼν ὑμῖν, ὅτι ἐγὼ εἰμὶ, εἰ ἔν ἐμὲ ζητεῖτε, ἀφετε τὰς ἑσθλὰς ἑσθλὰς, ἵνα ἀναζητήσῃ ὁ λόγος, ὃν εἶπεν, ὁ ἄνθρωπος δὲ δόξα καὶ μὴ ἀπώλεσα ἐξ αὐτῶν ἕνεκα.

### Exegesis hujus Historia.

Horrendum est apostasias exemplum, quod Salomon Deum diligens & à Deo dilectus atque ex eo Jediah dictus majores & successores suos omnes sapientiâ exuperans. Reg. 3. v. 12. tandem senio confectus ad sacra idololatrica à concubinis suis abducitur. Reg. 1. v. 4. sed æquè gravis ac horribilis est apostasia, quod Judas, qui cœlestem sapientiam à Christi Salomonis antitypo didicerat, à meretricia Synagoga seductus penitus à Christo deficit, & juratis Christi hostibus sese conjungens fit Christi proditor & dux eorum, qui ad captivandum ipsum venerant.

Christus sub finem præcedentis Historiæ dixerat ad discipulos: *Ecce appropinquavit, qui me tradit. Ecce venit hora & filius hominis traditur in manus peccatorum.* Hujus prædictionis complementum in hac Historia describitur. Christo enim adhuc loquente præfatus est Judas selecto comitatu instructus osculo proditorio Christum designans, ipsumque in manus hostium tradens, quod omniscientiam & veritatem verborum Christi, adeoque voluntariam ejusdem passionem manifestè comprobatur.

Partes hujus pericopes duæ sunt. In priore describitur Judæ proditoris in hortum adventus. In posteriore Christi Salvatoris occurus ac salvis discipulorum conductus. Circumstantiæ adventus hæ sunt. 1. *Tempus.* Christo adhuc loquente & ad vigilantiam ac preces discipulos exhortante, ecce supervenit Judas. Videmus igitur filios tenebrarum vigilantiores esse ad malum quam filios lucis ad bonum. Apostoli dormitant & dormiunt, nec patiuntur se vel Christi voce vel periculo imminente excitari, ut vigilent ac preces. Judas verò somnum oculis excutit & ad proditoriam Christi captivitatem satis alacris ad malum vigilat. Idem adhuc hodie in persecutionibus Ecclesiæ contingere superius etiam monuimus. 2. *Proditor* dictus est Judas unus ex veneranda Apostolorum decade, qui cum scelerato suo agmine venit *ἐκείσε* dicit Johannes pro *ἐκείσε* in hortum sc. oliveti. Matthæus & Lucas præponunt particulam attentionis & admirationis *id est* *Ecce*, verè enim mirandum ac stupendum est, ex Apostolo Christi fieri proditorem Christi. Judas non erat vulgaris Christi discipulus, sed in collegium Apostolorum selectus, ultra triennium quotidianâ Christi conversatione usus, divina ejus miracula viderat, cœlestem Evangelii doctrinam ex mellifluo ipsius ore audiverat, adeoque *bonum Dei verbum & virtutes futuri seculi gustaverunt* Hebr. 6. v. 5. quinimo ipse quoque Evangelium aliis prædicaverat & in Christi nomine miracula fecerat Matth. 10. v. 1. is hoc loco non solum à Christo deficit, sed etiam hostibus ejus sese conjungit ac fit Christi proditor, imò *dux eorum, qui Christum captivum duxerunt.* Act. 1. v. 16. Eò respiciunt Evangelistæ, quando notanter addunt, *Judas unus ex duodecim*, ut horrendam illam Judæ apostasiam probè perpendendam nobis proponant. Lucas dicit *ὁ λεγόμενος Ἰσδίας.* Quamvis verò hac loquendi formulâ simpliciter alias exponi

illi autem dixerunt, Jesum Nazarenum. Respondit Jesus, dixi vobis, quod ego sum. Si ergo me queritis, finite hoc abire, ut impleretur sermo quem dixi, ex his quos dedisti mihi, non perdidisti quemquam.

soleat appellatio, sicut Jesus dicitur *ὁ λεγόμενος Χριστός* Matth. 1. v. 16. Simon *ὁ λεγόμενος Πέτρος* Matth. 4. v. 18. &c. tamen haud absurdè cogitari potest Evangelistam hoc loco istâ loquendi formâ innuere voluisse, quòd Judas vim nominis sui solâ appellatione retenta scelere suo amiserit. Judas enim significat confessor, sed infelix ille Judas non amplius erat Christi confessor, sed hostis ac proditor, ideo erat solum *λεγόμενος Ἰσδίας* æquivoce dictus Judas. Sicut idola dicuntur *λεγόμενοι θεοὶ* 1. Cor. 8. v. 5. Quidam etiam emphasin quaerunt in eo, quòd Judas dicitur unus ex duodecim, sed extra. At in Græco est *εἰς τὸ δώδεκα*, ubi inanis illa subtilitas non habet locum. Joh. 13. v. 26. vocatur *Judas Simonis* sc. filius, & *Ischariotes*, quam appellationem juxta Hieronymum adeptus est vel à vico, unde oriundus fuit, vel à tribu Isaschar, vel à proditione, quia pro mercede Dominum prodidit, כרש enim significat mercedis causâ alteri operam suam præstare. Quidam deducunt ab *איש כרת* *abscidit, exterminavit*, (unde כרתו כריתו *libellus abscessionis*, sive repudiî nomen habuit, quem LXX. vocant *βελίον σκορυστίου*, quia Judas apostasia sua à Christo & Apostolorum Collegio seipsum abscidit & exterminavit tanquam palmitem infrugiferum Joh. 15. 2. Petrus Act. 1. 18. & 25. ad utramque etymologiam alludere videtur, dicit enim de Juda, *acquisit agrum ex mercede iniquitatis, ex quo ministerio παρεβη Judas.* Syrus scribit per Samech כרש quod ab obturatione & strangulatione nomen habet atque itidem proditori convenit, sed cum Syri pro Schin soleant ponere Samech, ideo rectius dicitur positum pro כרש ut eadem sit etymologia cum Hebræo. Hac horrenda Judæ apostasia. 1. admoneat nos corruptæ nostræ Naturæ ac tyrannidis Satanæ. In corde Judæ cœperat Sp. sanctus opus regenerationis ac renovationis per verbum & Baptismum, sed remanebat in eo aliquid de vetustate carnis, quam per Spiritum reprimere & mortificare debuisset, sed cum illi frena laxa suggestionibus Satanæ locum præstat, in gravissimum proditoris scelus præceps tandem ruit. Eadem Naturæ corruptio, quæ fuit in Juda, etiam in nobis hæret; idem Satanæ, qui Judam aggressus est, eundemq; vicat, adhuc hodie vivit, cujus tyrannidi per peccatum totum genus humanum factum est obnoxium, quam in omnes etiam exerceret, nisi divina potentia cohiberetur. Ambulemus igitur in timore Dei, vigilemus, oremus, carnem refrenemus, pravis concupiscentiis resistamus, ac in meditatione verbi & piis precibus perseveremus, ut superatis Satanæ tentationibus ac carnis suggestionibus *bonam militiam militantes* à Christo coronemur. 1. Tim. 1. 18. Ap. 2. v. 10. &c. 2. Eadem Judæ perfidia contra gravissimum scandalum, quod apostata in Ecclesia excitare solent, consolationem præbet. Ut Christus à proprio suo discipulo in manus hostium traditur, sic verbum Evangelii à falsis fratribus omnium maxime oppugnatur, unde Lutherus dicere fuit solitus. *Mali sunt Tyranni, hæretici peiores, falsi fratres pessimi.* Judas non solum deficit à Christo, sed etiam post suam apostasia

apostasia Christum prodit & persequitur, quinimò cum copias hostium contra Christum educeret *περιερχεσθαι αὐτῶν*, dicit Lucas, atque ut loquitur Petrus Act. 1. v. 16. factus est dux eorum, qui comprehenderunt Jesum *ὁδῆγος* viam illis monstrans & velut canis lag venaticus cervam matutinam quærens, cum Christum canes multi circumdarent Psal. 22. v. 1. & 17. Et *war des Teuffels Wortab.* Pari ratione adhuc hodie apostata fieri solent virulentissimi ac violentissimi veritatis hostes, imo reliquorum hostium contra Christum duces, ut hac ratione defectionis infamiam eluant & fidem, quam Deo non servarunt, apud homines sibi concilient. Quando igitur *domestici nostri sunt inimici nostri* Mich. 7. v. 6. Matth. 10. v. 36. *quando ex nobis ipsis exurgunt viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se*, Act. 20. v. 20. *quando gravissima scandala inter nos excitantur, recordemur hujus perfidiæ, quæ Judas Christum præceptorem suum tradidit.* Dicamus cum August. Epist. 137. *Homo sum & inter homines vivo, nec mihi arrogare audeo, quòd domus mea melior sit quàm arca Noe, ubi tamen inter octo homines reprobis unus inventus est, aut melior sit quàm domus Abrabæ, ubi dictum est, ejice ancillam & filium ejus, aut melior sit, quàm domus Jacob, ubi lectum Patris filius incestavit, aut melior sit quàm domus ipsius David, cujus filius cum sorore concubuit, cujus alter filius contra Patris tam sanctam mansuetudinem rebellavit, aut melior quàm cohabitatio ipsius Domini nostri Jesu Christi, in qua undecim boni perfidum & furem Judam toleraverunt.* 3. Neque verò dubium est angorem & tristitiam Christi patientis ex eo valde fuisse auctam, quod à proprio discipulo fuit venditus ac traditus, sed ut in reliquis passionis partibus, ita quoque in hac ipsa respexit ad vaticinia Prophetica jam olim hac de re edita. Psal. 41. v. 10. *Homo pacis mee, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.* Ps. 55. v. 13. *Sis, qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsit an ab eo.* v. 14. *tu verò homo unanimes: dux meus & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulavimus cum consensu.* Psal. 69. v. 6. *Extraneus factus sum fratribus meis & peregrinus filius matris mee.* Eodem modo etiam nos muniamus animos nostros contra scandalum apostasias prædictionibus Spiritus sancti in Scriptura de ea editis. Matth. 24. v. 11. Luc. 18. v. 8. 1. Cor. 11. v. 19. &c. 4. Voluit autem Christus hanc passionis partem propter nos sustinere, primi parentes nostri Deum ipsum loquentem audiverunt, sed postea facti sunt desertores, transfugæ & apostatæ; *Deus fecit nos, ut simus populus ejus, & oves pascuæ ejus* Psal. 100. v. 2. sed per peccatum ex sancta Ecclesiæ societate sapitis discedimus. Ut pro hoc peccato satisfaceret, Christus à proprio discipulo apostata ac transfuga prodi voluit. 5. Clerus Hierosolymitanus non intelligens hoc Dei consilium ex hac Judæ apostasia procul dubio occasionem sumit Christum & ipsius doctrinam calumnjandi. En hi sunt fructus novi Evangelii, quòd Jesus Nazareus prædicare cœpit, deseritur à primario quodam ejus Doctore nova doctrina, brevi fiet, ut ad Ecclesiam Judaicam, extra quam non est salus, omnes seducti revertantur, perinde ut hodiè apostasia multorum potentia, eruditione & auctoritate præstantium Pontificios valdè animat, sed vitia personarum non sunt tribuenda doctrinæ,

nec apostasia hominum *ἀσπίτων* instabilem & non fundatorum, ut Petrus eos appellat. 2. Epist. 3. vers. 16. quicquam præjudicat solido Evangelicæ veritatis fundamento. Judas desperans crepuit mediis, Christus cum suo Evangelio vicit ac triumphavit, idem exitus metuendus apostatis, nisi memores unde exciderint, penitentiam agant. Apoc. 2. vers. 5. 6. Ceterum probè hoc loco notandum, quòd Diabolus per certos quosdam gradus peccatorum, in enorme illud scelus Judam præcipitarit; non in primo statim aggressu cogitationes de Christo prodendo ipsi suggestit, eas namque statim à se repulisset, sed cum omnes ad avaritiam naturaliter proni simus, pravam divitiarum concupiscentiam, cordi ipsius ingessit, vel potius latentem in corde movit & auxit, huic concupiscentiæ cum Judas non resisteret, sed eam foveret ac consensum ei præberet, impulit eum, ut portunculam quam furtim subtraheret ex illis, quæ Christo ad sui ac discipulorum sustentationem conferebantur, quam ad rem optatam habebat occasionem, portabat enim loculos, in quibus pecunia illa recondebatur Johan. 12. vers. 6. cap. 13. v. 29. Cum vero animadverteret, sibi nihil mali propterea evenire, nec fulmine cœlitus percuti, quinimò Christum ad hoc furtum quasi connivere, *ὄρεσθαι* Act. 7. v. 30. incidit in securitatem ac de majore pecuniæ summa subtrahenda secum deliberat, unde graviter irascitur Mariæ pretioso unguento pedes Christi perfundenti, prætendens potuisse unguentum illud trecentis denariis vendi ac egenis ex eo subveniri. Joh. 12. vers. 5. sed intimo cogitationum recessus aperit nobis Evangelista, vers. 6. subjungens, *hoc dixit, non quod de egenis ipsi curæ esset, sed quia fur erat & loculos habens ea qua conferebantur, portabat,* ex quo intelligitur, quod ex illa magna pecuniæ summa partem non medicorem subtrahere cogitarit, ideoque doluerit bolum illum è faucibus sibi ereptum. Tandem igitur Satanus in cor ipsi mittit, ut explendæ avaritiæ causa triginta argenteis Christum tradat Joh. 13. v. 2. quas proditorias cogitationes nullis admonitionibus ac dehortationibus Christus ex corde evellere potuit. Atque hic fuit ultimus peccati gradus, ad quem proximè secuta est desperatio. Discamus igitur ex miserabili Judæ exemplo primæ peccati suggestioni resistere, atque ut Psaltes loquitur Ps. 137. v. 9. *Parvulos Babylonis petre allidere, fœcundum enim est peccatum, non ibi desinit, ubi incipit.* Suggestio nem, nisi statim opprimatur, sequi solet delectatio, delectationem consensus, consensus actus exterior, actum exteriorem securitas, securitatem continuatio, continuationem obduratio, obdurationem desperatio. Cum primis verò avaritiæ retia vigilantissimo animo fugiamus, quæ graphice describit Apostolus 1. Tim. 6. v. 9. & 10. *Nullum est justitie in illo corde vestigium, in quo avaritia sibi fecit habitaculum, hoc perfidus Judas inebriatus veneno dum sivit lucrum, venit ad laqueum, ut loquitur Leo serm. 9. de pass. Fugiamus avaritiam (inquit Chrysost. hom. 84. in Matt.) avaritia enim Judæ furorem illum immisit, avaritia omnes, qui ei serviunt, crudeles efficit, *ἀπανθραύσαν ἐγγύμασεν.**

3. Comitatus. Judas non venit solus in hortum, ad capiendum Christum, sed accepit cohortem & ministros Pontificum ac Pharisæorum, quibus turbam promi-

promiscua, ut fieri solet, sese aggregaverat, η συνήρα (quā voce Græca etiam Syrus utitur) significat propriè funem ex multiplicibus funicularis contextum, metaphorice accipitur pro cohorte militum. Suid. συνήρα πλῆθὴ στρατευμάτων, Φάλαγγες. Hesyeh. exponit πλῆθὸς τὰ γυμνά. Cohors, quæ est peditum, sicut turma equitum, erat decima pars Legionis continens quinquaginta manipulos, hoc est, mille ducentos quinquaginta milites, quia manipulus juxta plerosque viginti quinq; milites continebat: quidam tamen manipulo attribuunt duntaxat decem milites, juxta quorum sententiam, cohors est caterva quingentorum militum. Quidam ergo putant, συνήραν constituisse quingentis, alii septingentis, alii nongentis, alii mille militibus. Veget. lib. 2. de re milit. Romani Legionem habent, in quibus singula sena millia, interdum amplius militare consueverunt, in una autem Legionem decem cohortes esse debent. Johannes c. 19. v. 12. mentionem facit χιλιαρχῶν huic cohorti Præfecti, ex quo intelligitur, cohortem ad Christum capiendum emissam mille peditibus constituisse. Eadem cohors militaris in pratorio postea Christum induit purpurâ, coronam spineam illi imponit, eiq; illudit. Matth. 27. v. 27. Marc. 15. v. 16. Act. 10. v. 1. Cornelius Cæsareæ ἐκατοντάρχης habet sub se cohortem dictam Italicam. Act. 21. v. 31. χιλιαρχῶν Hierosolymitanus ascitis militibus & Centurionibus, adeoque totâ suâ cohorte seditionem excitatam repente sedat. Act. 27. v. 1. mentio fit ἐκατοντάρχης habentis sub se συνήραν Σεβαστῶν cohortem Augustam, ex quibus omnibus intelligitur, cohortem illam fuisse præsidariam & pratoriam, quam Præfex Romanus sui defendendi & seditionem præcavendi ergo secum habebat, & quocunque iret, ducere solebat. Pars hujus cohortis ad ædes Præsidis excubias agebat, pars reliqua in arce Antonia intra templum & Præsidis domum intermedia præsidiarum partes sustinebat. Ideo verò Pontifices à Præsidente hanc cohortem militarem petierunt, ut omnia Magistratus tam politici quam Ecclesiastici autoritate geri viderentur. Procul dubio Christum seditionis apud Præsidentem accusarunt, atque officii eundem admonuerunt, ut seditio illum turbatorem coerceret. Metuebant insuper, ne à turbis, quæ ab ore docentis pendebant, iterum eriperetur, copias igitur militares sibi adjungunt, quibus nullus auderet resistere, ac si vel maximè quis auderet, tamen contra tot armatos milites nihil quicquam proficere posset. August. tract. 112. in Joh. Cohors non Judæorum, sed militum fuit, à Præsidente itaque intelligatur accepta, tanquam ad tenendum reum servato ordine legitime potestatis, ut nullus tenentibus obstitere, quanquam & manus tanta fuerit congregata & sic armata veniebat, ut vel terreret, vel etiam repugnaret, si quis Christum defendere auderet, Lucas c. 22. v. 52. refert, præter cohortem militarem & Chiliarchum eidem Præfectum adfuisse etiam στρατηγὸς & ἱερῶν Præfectos templi. στρατηγὸς propriè est, qui exercitum ducat, ὁ ἀγῶν στρατῶν, postea in genere usurpatur pro Magistratu. Act. 16. v. 20. duxerunt Apostolos ad στρατηγὸς, Quidam hoc accipiunt vel de satellitibus & apparitoribus Seniorum vel de ipsis Senioribus, qui eo anno Magistratum in populo gerebant, à quibus postquam sub Imp. Roman. redacti sunt Judæi, magna ex parte politica gubernatio adempta erat, & tantum illis relicta judicia circa Ceremonias & observatio-

Harm. Tom. III. vel Gerhard. Cont. pars quarta.

nes Legis ac permillum, ut ad cogendos cives ad officium numerum aliquem satellitum haberent, quos hoc loco exercitum templi vocari statuunt, quia se non extendebat eorum potestas, nisi ad res Ecclesiasticas, quâ ratione στρατηγὸς ἱερῶν ἐξηγητικῶς dicerentur πρεσβύτεροι Luc. 22. v. 52. Et sanè hocce Præfectos templi non gentiles, sed Judæos fuisse, confirmari potest ex eo, quòd Judas cum Principibus Sacerdotum ac στρατηγῶν pactum de Christo prodendo inisse dicitur, Luc. 22. v. 4. quodq; Syrus στρατηγὸς vocat 𐤒𐤃 Principes exercitus templi. Act. 4. v. 1. στρατηγὸς ἱερῶν cum Sacerdotibus ac Sadducæis conjungitur, qui omnes dolent ab Apostolis Christum prædicari, ideoq; in carcerem eos conjiciunt, Act. 5. v. 26. στρατηγὸς cum suis ministris Apostolos ex templo ad Synedrium Ecclesiasticum deducit, quæ omnia probant, Magistratus illos sive Præfectos templi Judaicæ religioni fuisse addictos, inde cogitari posset, ministros Pontificum ac Pharisæorum, quos ad capiendum Christum venisse Johannes commemorat, fuisse ὑπηρέτας ἑστρατηγῶν, ut vocantur Act. 5. v. 26. Quidam per στρατηγὸς ἱερῶν intelligunt cohortem militarem Romanam cum suis Præfectis. Carol. Sig. lib. 7. de Rep. Heb. c. 13. quia prope templum erat arx Antonii, quæ fuit munitissimum quoddam præsidium Romanis militibus custoditum ac circa tempus solennium festorum ob metum seditionis præsidiariorum numerus augebatur, sic ergo milites illi præsidarii dicerentur στρατηγὸς ἱερῶν, quia præerant custodiae templi, in quo propter hominum confluentium multitudinē in festis solennioribus facilè potuisset oriri seditio. Sed quia στρατηγὸς ἱερῶν expresse discernuntur à Senioribus & exercitus templi procul dubio diversus fuit à ministris Pontificum & Seniorum, ideo rectius statuitur, intelligendum hoc esse de peculiari quadam cohorte militari, quæ fuit custodiae templi præfecta. Cum enim templum auro & gemmis fuerit affabrè extractum ac preciosis donariis ornatum, Luc. 21. v. 5. ideo certa quadam militum custodia, præsertim circa festa solenniora ei præficiebatur, 1. Mac. 4. v. 61. Per ministros Pontificum ac Pharisæorum, quos Johannes cohorti conjungit vel intelligendi sunt publici illi Seniorum ministri, vel quidam ex privato Pontificum & Pharisæorum famulatio, quos ideo cohorti Romanæ addiderunt, quia fidei proditoris perfidi parum tribuerunt. Johannes dicit, Judam accepisse ministros ἐκ τῶν ἀρχιερέων à summis Sacerdotibus, quia τὸ ἐκ ponitur προδῶν, sicut & Joh. 17. v. 15. &c. Quod Lucas c. 22. v. 52. addit, Christum ad summos Sacerdotes & Seniores, qui contra se venerant, dixisse, tanquam ad latronem exiitis &c. id August. tract. 114. in Joh. Beda & alii sic exponunt, Christum allocutum esse Pontificum & Seniorum ministros, ac si illi ipsi præfessio essent, quorum personam representabant & à quibus missi erant. Quia summi Sacerdotes & Seniores necem Domini ita procurabant, ut quasi ipsimet innoxii viderentur, cum per discipulum traditus, à tribuno & turbis comprehensus, à Præsidente damnatus, à Romanis militibus crucifixus, à populo etiam Barrabas electus, ideo Evangelista significare volens eos maximè reos esse, quorum consilio cuncta gerebantur, notanter dicit, eos venisse ad comprehendendum Salvatorem, quorum jussu & autoritate ablegati veniebant.

E

Sed



Sed cum difertis verbis Lucas pronunciet summos Sacerdotes & Seniores à Christo in horto fuisse compellatos, ideò rectius statuitur, quosdam ex ipforum ordine in comitatu fuisse, reliquos verò in domo Caiphæ adductionem captivi expectasse, sicut & postea, quidam ipforum deducunt Christum ad Pilatum, reliqui verò ad sacra peragenda in templum abeunt. Veriti procul dubio fuerunt, ne Judas minus rectè proditoris personam gereret, ideò ut diligentius negotium perageretur atque autoritate ipforum omnis seditionis occasio præcaveretur, ipsimet scelerato proditoris consortio sese associant. Adfuit simul ὄχλος πολλός, quòd intelligi posset de turba promiscua & variorum hominum colluvie, quæ comprehensoribus sese conjungere solet, sed quia Evangelistæ notanter dicunt, turbam illam à Pontificibus, Scribis & Senioribus venisse, ideò cum primis intelliguntur ministri Pontificum & cohors militaris à Præside Romano impetrata. Videmus igitur diversa hominum genera, quibus alioquin minimè omnium inter se conveniebat, contra Christum invicem conspirare. Dux agminis est Judas unus ex duodecim Apostolis Christi, in comitatu est cohors, hoc est, milites Romani gentiles ad Judæos in officio continendos imperatoriâ autoritate constituti: adfunt Magistratus templi, Pontifices & Seniores, adfunt ministri ipforum, ad est turba promiscua, hi omnes diversi sunt gente, professione & religione, alii namque erant gentiles, alii Judæi: alii ex ordine Ecclesiastico, alii ex politico: alii heri, alii servi, alii militares; sed contra Christum perinde ut vulpculæ Samsonicæ caudis colligatæ unanimiter conjunguntur, sicut & postea Herodes ac Pilatus conspirant. Pf. 2. vers. 2. *Aspiterunt Reges terræ & Principes convenerunt adversus Dominum & adversus Christum ejus.* Actor. 4. vers. 27. *Convenerunt verè in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Israel &c.* Quod si adhucodiè eandem Ecclesiâ sortem experimur, cogitemus membra corporis mystici conformari hac ratione suo capiti. Rom. 8. vers. 29. Pontifices, Pharisei & Scribæ titulum Ecclesiâ sibi arrogabant, iidem verò omnium maximè Christum Ecclesiâ caput & vera ipsius membra oppugnant. Cohortem ad capiendum Christum mittit Præses nomine Imperatoris, ministros mittunt summi Pontifices eminentiâ Ecclesiasticâ potestatis conspicui, Pharisei sanctitatis opinione illustres ac Seniores sive urbis Senatores, hi erant summi in politica & Ecclesiastica Hierarchia, omnes tamen Christum persequuntur, omnes vocationis suæ obliviscuntur. Judas vocatus erat ad Apostolatam, ut per prædicationem verbi adduceret turbam ad credendum in Christum, & consequendam in ipso salutem, sed is ex Apostolo fit proditor, & adducit turbam ad capiendum Christum. Pontifices, Pharisei, Scribæ & Seniores vocati erant, ut legem populo proponerent, vaticinia de Messia explicarent, ejusdemque beneficia in sacrificiis adumbrata esse docerent, præsertim verò ut appropinquante jam Paschatos tempore doctrinam de beneficiis Messia in typo agni Paschalis propositam populo proponerent, sed hi mittunt suos ministros & cohortem ad Christum oppugnandum, quinimo ipsimet

cohorti militum sese intermiscunt & lictorum officium subeunt, perinde ut hodiè Episcopi & Monachi in aciem contra Evangelicos prodire quandoque non verentur. Milites præsidarii ad hoc vocati erant, ut conservarent pacem publicam & seditionem præcaverent, ut Evangelium de Christo propagari posset, hi verò patiuntur se mercede conducì ad Christum opprimendum. Turba ad hoc vocata erat, ut in Christo salutem quæreret, sed venit, ut perpetuam damnationem in ipso quarat. Recordemur hujus præposteri processus, quando Evangelium ab illis oppugnari conspicimus, qui potestate Ecclesiasticâ & politicâ, opinione sanctitatis, sapientiâ & autoritate sunt conspicui, sicut Judas h. l. est egregia pictura Antichristi, qui propter amplissimos suos reditus Evangelii doctrinam persequitur & omnes Hierarchias contra eam concitat, ipse etiam est dux agminis, primum facit impetum & crudelitati suæ concordiam Hierarchiarum prætexit.

IV. Armorum apparatus. Veniunt instructi vi & dolis, armati violentiâ & caliditate. *Afferunt enim secum laternas, faces, gladios, fustes, arma.* Φανὸς à Φαίνω, luceo, splendo, sunt lucentes laternæ. Polux & Hefychius testantur Atticos appellasse λυχνόχρον, quem ipsi vocant Φανόν. Apud Athen. lib. ult. in hac significatione scribitur φανός, Syrus habet vocabulum נפתיר, ab *emittendo* laterna, quæ emit tit lucem. Lutherus vertit Sacceln. λαμπάδων generalior est significatio, ut *luminarium* nomine interpretari liceat, nam & decem virgines, Matt. 25 v. 1. habent lampades sive lucernas. Nonnus appellavit λαμπήνας lampades, faces, funalia à λαμπωω fulgeo, luceo, ita usurpat Plutarch. initio problem. Rom. Actor. 20. v. 8. *Lampades multe sunt in canaculo.* Apoc. 4. v. 8. *vocantur lampades ignis.* Syrus habet vocem נפתיר quæ deducta est ex Hebræo נפתיר, fax, facula, quod transpositione solum differt à נפתיר tada. Gen. 15, 17. Ex. 20, 18. &c. Lutherus retinuit appellationem græcam lampen. Sensus igitur est, quod non solum ardentes faces ad profligandas noctis tenebras secum attulerint, sed etiam laternas, in quibus lucem contra ventorum impetus fovebant. Nocte sanguinaria sua consilia in actum deducunt, ut sine turba & seditione Christum caperent, eumque ex improvise opprimerent. Quemadmodum ingratus Achitophel dederat hoc consilium, ut David cum suis nocte opprimeretur, 2. Sam. 17. v. 2. sic ingratus Judas, eodem quo Achitophel vitæ exitu postea extinctus, simile consilium hostibus dederat, ut noctu Christum caperent. Noctis tenebras amant, quia *opera eorum evant mala*, Joh. 3. v. 20. & cor ipforum erat obtenebratum, in quo lux cognitionis Christi erat extincta. Interim tamen faces & laternas afferunt, ut noctem flammis funalia vincant nevé in horto sub arboribus Christus sese absconderet ac manibus ipforum elaberetur. Erat tempus plenilunii, ut ex Paschate Judæorum intelligitur, nihilo tamen minus lampades ac lucernas afferunt, ne Christus cum suis discipulis sub oleis, sicubus vel palmis se occultet. *Sempiternus dies*, ait August. tract. 112. in Johann. *ita membris occultatur humanis, ut laternis ac facibus quæreretur occidendus à tenebris.* Christus erat vera lux Joh. 8. v. 12. quæ in tenebris lucebat, Joh. 1, 5. sed qui faces ac lampades hoc loco afferunt

ferunt, tenebrae erant, ideo etiam praclaram illam lucem non agnoscebant. Cyrill. lib. 11. in Joh. c. 32. *Timebant, ne ut in tenebris fieri solet, aut in foveas cadrent, aut pedes lapidibus offenderent, ideoque faces & lampades secum sumserunt, nec videbant se in lapidem illidere, de quo Esa. 28. v. 16. dicitur: Ecce ponam in Sion lapidem offensionis & petram scandalum, ac parvam foveam formidantes in profundum abyssi de lapsi sunt, & illius noctis tenebras depellentes de noctis perpetua tenebris minimè curant.* Præter faces afferebant etiam macheras ac gladios, ligna ac fustes, sive, ut Poeta loquitur, *sudes preustas*, adeoque omnis generis arma, ut discipulis terror incuteretur, quo minus ad defensionem sese pararent. Judas viderat duos gladios apud collegas suos Luc. 22. v. 38. autor igitur fuerat comitatu, ut gladiis, fustibus & armis sese munirent, quibus expugnant eos, si qui fortè Christum defendere vellent. Apparet igitur ex hac Historia hostium Christi & Ecclesiae ingenium. Pontifices, Scribae & Pharisæi aliquoties in arenam disputationum cum Christo descenderant, sed quia his mediis sese parum proficere re ipsa experti erant, ideo à disputationibus ad vim apertam, à verbis ad verbera, à Bibliis ad fustes prosiliunt, brachium seculare Magistratus sibi asciscunt, & ut Hieronymus loquitur in Apolog. ad Ruffin. *ex officina carnificum argumenta petunt. Confidit de virtute seculi, qui desperat de adiutorio Dei.* Gladios corporales quarunt, qui in verbo, quod est *gladius Spiritus* Ephes. 6. vers. 17. parum praesidii inveniunt. *Diabolus est mendax & homicida ab initio*, Joh. 8. vers. 44. inde mendacia sua caedibus & persecutionibus propugnat, sicut Historia Ecclesiae omnium temporum testatur. Ex hoc capite promanavit illud apophtegma, quod in Comitibus Augustanis quidam Pontificii proferebant, Evangelicos obtulisse Caesari formulam Confessionis atramento scriptam, Caesarem debere ipsis eam sanguine conpersam reddere. Ut verò armis probè sint instructi Christi & Ecclesiae adversarii, tamen timiditatem & cœcitatem suam non possunt tegere. Cur gladios, fustes & arma suscipiunt contra inermes progressuri? argumentum hoc trepidantis conscientiae, *timent, ubi non est timor*, Psal. 14. v. 5. factum Juda convenit mutatae menti, cum gladiis, fustibus & armata cohorte advenit, quia venit non ut discipulus ad audiendum, sed ut proditor ad capiendum. Probè noverant Christum aliquoties ex manu hostium mirabiliter liberatum, Luc. 4. v. 30. Johan. 8. v. 59. nihilominus sibi persuadent, hac vice ipsum capi & opprimi posse. Eadem timiditas ac cœcitas adhuc hodie in persecutoribus appareret, armis oppugnant eos, qui sunt *oves mactationis*, Psal. 44. v. 23. persecutionibus conantur Evangelium extinguere, quod est verbum immortale & aeternae veritatis, profusione sanguinis evertere cogitant Ecclesiam, quae est fundata super Petram, Matth. 16. v. 18. & sanguine Martyrum irrigata feliciter crescit. Caterum hanc cœcitatem suam Christi hostes politica quadam calliditate obvelant, quam violentiae conjungunt. Christus sub vesperam urbe egredi & in monte oliveti pernoctare consueverat Luc. 21. v. 37. Joh. 8. v. 1. sperant igitur in somno ipsum eò citius opprimi posse, ideo circa primam noctis vigi-

liam, quo tempore somnus suavissimus & altissimus homines invadere solet, foras prodeunt. Interdum copiosa auditorum multitudo ipsi aderat, nocte solus orabat, statuant igitur noctis tempore sine tumultu ac seditione ipsum capi posse; faces interim ac lampades assumerant, quibus noctis tenebras fugarent & arma, quibus defensionem parantibus discipulis resisterent. Haec omnia ipsorum quidem judicio prudenter erant excogitata, sed Christus unica voce in terram omnes prosternens, ostendit, hostium calliditatem se posse infatuare & crudelitatem eorum coercere.

In parte hujus pericopes posteriore describitur Christi occursum & salvum discipulorum conductus. De Christo enim commemoratur, quod omnia sibi eventura sciverit, quod hostibus obviam irit, quod semetipsum eis indicaverit, quodque discipulis salvum conductum impetraverit. *Jesus sciens omnia quae ventura erant super se, processit hostibus obviam.* Adamus vocatus ad Dei judicium propter peccatum suum absconderat se inter arbores Paradisi, Gen. 3. v. 8. sed Christus secundus ac caelestis Adamus vocatus ad poenas pro peccatis nostris sustinendas, non abscondit se sub arboribus horti, sed spontè hostibus occurrit ac Satanæ ipsiusque satellitio caput obtulit. Sciebat omnia quae ventura erant super se, quod scilicet præter interiores animæ angores etiam exteriores corporis cruciatus, vincula, flagella, vulnera, adeoque ignominiosissimum & acerbissimum mortis supplicium super se sint ventura. Haec omnia præclare noverat, nihilo tamen minus seipsum spontè offert ad suscipiendos illos cruciatus, ut re ipsa ostendat sibi nec inscio nec invito tales passiones obvenire. Et quidni novisset? omnia in luce divinæ suae omniscientiae coram intuebatur, quæ longè post demum evenerunt. Interfuerat sanctissimo Trinitatis Concilio, in quo constitutus erat Mediator, ipsique impositæ partes satisfaciendi pro peccatis mundi: *Spiritus ipse in Prophetis pronuntiavit venturas super ipsum passiones*, 1. Pet. 1. v. 11. ipse quoque non semel discipulis exactè omnia prædixerat, quæ tempore passionis contigerunt. Haec omnia licet optimè nosset, tamen seipsum hostibus offert adimplens illud Propheticum, Esa. 53. v. 7. *oblatus est, quia ipse voluit*, inde Psal. 40. v. 9. dicit, *ecce venio*, v. 10. *in capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam.* Deus meus, *delectatus sum & lex tua in medio cordis mei*, hac prompta Christi voluntate & obedientia sanctificati sumus. Heb. 10. v. 10. Quia fecit ipsum mori benignitas propria, non malignitas aliena, ideo passio & mors ipsius fuit gratum Deo sacrificium in odorem suavitatis ipsi oblatum, Ephes. 5. v. 2. Quæsierat hæcenus varias secessiones, Johann. 8. v. 59. cap. 11. v. 54. &c. docens, non esse periculis temerè ac spontè occurrendum, id enim esset Deum tentare, Lactant. lib. 4. div. inst. c. 18. *Secessit Christus cum discipulis suis, non ut vitaret, quod necesse erat perpeti ac sustinere, sed ut ostenderet, quod ita fieri oporteat in omni persecutione, ne sua quis culpa incidisse videatur.* Jam verò cum sciret adesse horam passionis Dei consilio sibi definitam ac constitutam, ipsemet liberè in occursum hostium procedit, docens, quod in adeundis periculis divinæ voluntati nostram submittere debemus. Ex eo autem intelligitur adesse horam pas-



tionis divinitus constitutam, quando non amplius pia & honesta evadendi media apparent, quibus bonâ conscientia uti & pericula declinare possimus. Sic Paulus Actor. 9. v. 25. per muros Damascenos in sporta se demitti patitur, sed Act. 21. v. 13. Agabi Prophetiam audiens dicit: *Ego non solum alligari, sed & mori in Jerusalem paratus sum propter nomen Domini Jesu.* Porro Christus in occursum hostium procedens interrogat eos. *Quem queritis?* Christus bonus ille Pastor querebat nos moriendo, hi rabiosi lupi querebant Christum moriendo. Interrogat autem non ignorans quid vellent, sed ut seipsum illis manifestaret. Estque in *ἐρωτησθη* illa magna emphasis, quam Christus ipse postea exponit subjungens: *Tanquam ad latronem existis cum gladiis & suestibus, cum quotidie vobiscum fuerim in templo, non extendistis manus in me* Luc. 22. v. 52. 53. Respondent ipsi, *Jesum Nazarenum.* Quia in circumfione nomen Jesu Salvatori nostro erat datum Luc. 2. v. 21. ideo vulgò appellabatur *Jesus*; quia in Nazareth erat educatus, ideo vulgò appellabatur *Nazarenus* Matth. 2. v. 23. cap. 26. v. 71. & c. quam appellationem sibi ipsi tribuit Actor. 22. v. 8. mysticâ quadam ratione, quia est verus ille Nazarenus, cujus typi fuerunt Nazaræi veteris Testamenti Num. 6. v. 18. Judic. 15. v. 5. sed ad hoc mysterium nec vulgus Judæorum, nec hostes Christi hoc loco respexerunt, quin potius quia Nazareth fuit contempta & abjecta urbecula, de qua proverbio quodam dicebatur, *Num à Nazareth potest aliquid boni venire?* Joh. 1. v. 46. ideo verisimile est, quod per contemptum vocarint ipsum Nazarenum. Miranda autem hæc est cœcitas, quâ divinitus percipiuntur Christi hostes, sicut olim Sodomitæ, Genes. 19. v. 11. ut non possent invenire domum Lothi, ac Syri 2. Reg. 6. v. 18. ut Elifæum agnoscere nequirent. Erat plenilunium, habebant secum faces ac lampades, antea sæpius Christum viderant, quidam etiam familiariter noverant, & tamen percussî cœcitate ipsum non agnoscunt. Chrysofomus probè expendens narrationem Johannis, quod Christo dicente, *ego sum*, & Juda astante, nemo tamen illorum ipsum fuerit comprehendere conatus, *in medio*, inquit, *existens excœcavit oculos eorum.* *Nam quod tenebræ non fuerint in causa, quod minus eum invaderent, indicavit Evangelista dicens, quod habuerint lampades, ac si vel maximè lampades illis non essent, & voce tamen poterant eum agnoscere, ac si illi ignorarent, Judas ignorare non potuit, qui cum ipso continuè fuerat.* Confidamus igitur Deo in adversis ac periculis, qui omnem sapientiam ac potentiam adversus Christum & ipsius Confessores eludere ac confundere novit, qui hostes suos quandoque ita excœcat, ut etiam si de facie Christi confessores noverint, nullum tamen ipsis intentare periculum audeant. Ruffinus lib. 1. Histor. Eccles. cap. 34. memorabilem Historiam de Athanasio commemorat. Cùm persecutionem Juliani fugeret ac navi per Nilum fluvium iter ageret, Comes qui ad hoc ipsum missus fuerat, cognito ejus itinere instanter eum inlequi cœpit. Et cùm fortè applicuisset Athanasii navicula ad quendam locum, comperit à prætereuntibus post tergum esse percussorem suum & jam jamque nisi prospiceret imminere. Conterriti omnes qui simul aderant focii

eremum suadebant ad fugæ præsidium petendam. Tum ille, *Nolite*, inquit, *ô filii, deterreri, eamus magis in occursum percussori nostro, ut sciat, quia longè major est, qui nos defendit, quam qui nos persequitur.* Et conversâ naviculâ iter agere obviam ei, qui se insecrabitur, aggressus est. Ille qui nullo genere suspicari posset, in occursum sibi venire quem quæreretur, tanquam prætereuntes aliquos interrogari jubet, ubi audissent esse Athanasium. Cumque respondissent vidisse eum non longè euntem totâ celeritate pertransiens properat in vanum festinans capere, quem ante oculos positum videre non potuit. Ille vero Dei virtute munitus Alexandriam redit, ibique tutò latebras usque quò persecutio cessaret, exegit. Quamvis verò non idem sit modus servandi ac liberandi è periculis, sicut etiam Christus postea capitur, ligatur & occiditur, tamen consolatio & doctrina est generalis, quòd citra bonam Dei voluntatem hostium rabies nihil mali nobis intentare possit. Christus audiens, quòd Jesum Nazarenum quærant, masculè respondet, *ego sum*, quo verbo velut tonitru ac fulmine quodam tota cohors, cui intererat etiam Judas proditor, in terram profesternitur. *Ut enim dixit illis Christus, Ego sum, ἀπ᾿ ἄθροον εἰς τὰ ὀπίσω* scil. *ἔστη ἴσως ἀπ᾿ ἀθροον*, id est, retrò cesserunt. Syrus habet, *abierunt ἄθροον, in oppositum, in absconsionem, & ceciderunt in terram.* Hier. Epist. 140. ad Principium hujus prostrationis causam tribuit *fidereo cuidam splendori, qui ex facie Christi resulserit*, sed rectius tribuitur divinæ ipsius potentia, latenter & efficaciter hoc operanti. Hæc enim est verè divina virtus & potentia verbi Christi. Dicens enim *ego sum*, ostendit, quòd sit verus ille Deus ac Dominus Zebaoth, qui Moysi dixit, *Ego sum qui sum* Exod. 3. v. 14. qui Jacobo dixit, *Ego sum Deus omnipotens*, Gen. 35. v. 11. qui eidem dixit, *Ego sum Deus fortissimus* Gen. 46. v. 3. qui in promulgatione legis dixit: *Ego sum Deus fortis zelotes* Exod. 20. v. 5. Luth. tom. 1. Isleb. fol. 432. *Quando Christus dicit, ego sum, cogitandum est, quis, qualis, quantus hoc dixerit, ad quid dixerit. Qui hic loquitur, is est verus Dei Filius, virtute igitur verbi profesternit hostes Act. 9. v. 5. exaltatus ad Dei dextram ejusdem verbi virtute Saulum persecutorem profesternit: Ego sum Jesus, quem tu persequeris, sed ut sciamus, quòd ne quidem in statu exinitionis ita deposuerit potentiam suam, quò minus ea uti possit, ideo hoc loco antequàm sese velut agnum mitissimum lapis tradat, ostendit sese fortem leonem, è tribu Juda, & in profundissima sua exinitione radios suæ majestatis & virtutem verbi exerit. Ac rectè colligit Augustinus tract. 112. in Johan. *Quid judicaturus faciet, qui talia fecit judicandus? qualem potestatem habebit, cùm veniet regnare, cùm talem haberet veniens ad moriendum: Quam terribilis erit vox Christi, quando in majestate suæ gloriæ dicet impiis, Dissedite à me* Matth. 25. v. 41. cum eadem tam terribilis fuerit hostibus in statu humiliationis? Probè verò notandum, quod eodem verbo consternatos ac territos alibi erexerit, quo hostes suos stantes hic in terram dejecit. Matth. 14. v. 27. Marc. 6. v. 56. cùm Christus mari inambulans noctu ad discipulos veniret, ipsique existimarent se spectrum videre ac præ timore clamarent, Christus dicit eis: *Confidite, ego sum, nolite timere, quo verbo ita confirmantur, ut Petrus dicat, sic et jubet**

me ad te venire. Luc. 24. v. 46. cum post resurrectionem clausas januas ingressus medium sese territis discipulis inferret, dicit: *Ego sum*, quo verbo in idem ex terrore & timore ipsos liberavit, sed hoc loco eodem verbo hostes territ ac prosternit, ut ostendat, unum atque idem esse verbum, quo credentes eriguntur & in cœlum extolluntur, increduli verò prosternuntur & in infernum deiciuntur, unum idemque Evangelium esse aliis odorem vitæ ad vitam, aliis verò odorem mortis ad mortem. 2. Cor. 2. vers. 15. Mundus contemnit ac vilipendit Christi verbum, non subicit se illi obœdientiâ fidei, quidam insuper illum persequuntur, Christus igitur potentiam illius verbi ostendit, quo increduli aliquando in extremo die sint iudicandi & ignem infernalem detrudendi. Johan. 12. vers. 48. Ideo verò potentiam suam Christus hoc loco tam clarè exerit. 1. Ut ostendat etiam in profundissima exinanitione, adeoque in media passione ac morte personalem unionem divinæ Naturæ cum assumpta humana permanere. 2. Utque occurrat offendiculo, quod ex passione & cruce oboriri poterat, ne putemus ipsum furori hostium succubuisse. Qui ergo humilitate ipsius offenditur, majestate ejus in fide conservetur; 3. Insuper ut re ipsâ comprobeat voluntariam suam in passione obœdientiam, cum uno verbo omnes hostium conatus & impetus evertere potuerit, Anshelm. in Spec. Evang. serm. cap. 8. *Non defensionis gratiâ hoc fecisti, sed ut intelligeret humana presumptio, nihil se posse adversum te, nisi quantum permetteretur à te.* 4. Denique ut ostendat sese dominari in medio inimicorum suorum Psal. 110. v. 2. & quidem verbo potentia suæ, cum tot armati hostes ad unam voculam subitò concidant. Non facit ignem de cœlo descendere, sicut olim fecerat Elias 2. Reg. 1. vers. 10. sed verbo prosternit hostes, ut impleatur illud Propheticum Esa. 11. vers. 4. *terram percutiet virga oris sui & Spiritus labiorum suorum interficiet impium*, quamvis enim illius Prophetiæ complementum ad Antichristi oppugnationem Apostolus referat 2. Thess. 2. vers. 8. videmus tamen & hoc loco & quotidie adhuc impios ad Christi vocem concidere. Nec hoc prætermittendum, quòd Petrus potentiam verbi divini ostensus Ananiam ac Sapphiram eò interfecit Act. 5. vers. 5. & 10. Christus verò hostes suos non statim occidit, sed saltem prosternit, erat enim tempus exinanitionis, *ne venerat ut animas hominum perderet, sed ut salvaret* Luc. 9. vers. 56. Augustinus & Chrysostomus colligunt ex hoc loco, Judæos non occidisse Christum arcano aliquo Dei impulsu. Quòd enim voluntas Judæorum divinæ voluntati sit contraria, apparet ex eo, quòd Christus sanguinario ipsorum conatu divinâ virtute reluctatur eosque in terram dejecit, proinde voluntas Dei, quâ Christum Filium suum pro nobis in mortem tradidit, & voluntas Christi quâ mortem pro nobis spontè suscepit; diversa est à Judæorum voluntate, quâ nefariè odii & invidia suæ expletionem in Christi morte quaesiverunt. Cæterum ut exterior hostium cœcitas fuit signum interioris exœcationis, ita subitus in terram prolapsus fuit præludium futuræ damnationis, quòd in extremo die à facie & verbo Christi timentes in inferni barathrum sint ruituri. Gregorius lib. 3. 1. moral. cap. 18. observat, pios qui ex

*Harm. Tom. III. vel Gerbarâ. Cont. pars quarta.*

filiâ timore se coram Deo humiliant, in faciem procidere, sicut etiam Christus in horto oliveti in faciem coram Patre cœlesti procidit, impios verò & damnatos ex servili timore in tergum procumbere ac prosterni. Qui retrorsum cadit, non videt casus sui periculum, sic labentes in culpam non vident lapsus sui miseriam. Qui in faciem cadit, convertit se ad eum, coram quo procumbit: qui retrorsum cadit, avertitur ab eo, coram quo procidit, sic electi in humilitate ad Deum convertuntur, damnati à Deo retrocedunt. Qui contra Christum venit, illum oportet tandem concidere, &c. Vide eundem homil. 9. in Ezech. & August. tract. 112. in Joh. Postquam vero collectis animis ac viribus prostrati hostes sese erexerunt, Christus iterum eos interrogat, quem quærant, illi denuò respondent, *Jesum Nazarenum*. 1. Exemplum hoc est horribilis exœcationis & stuporis, adhuc enim oculi eorum tenentur, ne agnoscant coram quo consistunt, metuamus igitur Dei judicium & in periculis certam illam consolationem apprehendamus, quòd nihil virium adversus Christum & ipsius membra hostes exerere possint, nisi divinitus permittantur. 2. Cogitemus etiam, an non ipsi quoque morbis atque aliis judiciorum divinorum exemplis prostrati ad pristinum deterioris vitæ institutum tanquam canis ad vomitum sæpius redeamus? Respondent hostes *quærentes se Jesum Nazarenum*. Per se bonum est, Jesum quærentes, unde Ecclesia & quævis fidelis anima dicit Cant. 3. vers. 2. *Surgam & circumibo civitatem, per vicus & plateas quæram quem diligit anima mea*, ac Filius Dei, qui est Patris sapientia 1. Cor. 1. vers. 24. promittit Proverb. 8. vers. 34. *Beatus, qui invigilat ad fores meas quotidie* vers. 35. *Qui invenerit me, inveniet vitam & hauriet beneplacitum à Domino*. Sed rectè quærendus est Christus, non armis, gladiis & fustibus ut perdatur, sed precibus, gemitibus ac fletibus, ut nos consoletur. Ac ubi Christus & doctrina ejus inventa fuerint, arctè sunt tenenda. Genes. 32. v. 26. sed de alia indagine atque alio ligamine hic agitur, quo Judæi Christum quærent, non ut ex verbo illum agnoscant, sed ut cum verbo ipsum perdant, ideo etiam inveniunt illum non ad suam salutem, sed ad perniciem. Christus idem responsum ab hostibus audiens, quòd scilicet Jesum Nazarenum quærant, subjicit: *Dixi vobis quòd ego sum. Si ergo me quæritis, sinite hos abire*. Syrus habet verbum *Πῶρ relinquite, demittite illos*, ut abeant, quæ est vox non rogantis sed imperantis, quâ Apostolis suis salvum conductum impetrat, cujus verbi efficaciam nisi hostes fuissent cohibiti, ne unus quidem ex Apostolis abiisset illæsus, denn sie waren kommen, das ganze Nest aufzuheben. Petrus, uti postea sequitur, defensionem parans Malcho aurem amputabat, reliqui quærebant, an gladio percutere debeant, omnes igitur ut seditionis à militibus fuissent trucidati, nisi CHRISTUS potentiam verbi sui terminum sævitie ipsorum constituisset, ac pro imperio & cum autoritate quadam dixisset, *Sinite hos abire*. Magnum est miraculum, quòd Daniel in lacu leonum vivus & incolumis conservatur, DEUS enim miserat Angelum suum & concluserat ora leonum, ut non possent ipsi nocere Dan. 6. v. 22. sed profectò non minus miraculum est, quòd efferata rabies hostium, qui

E 3

Plal.

Pfal. 22. vers. 14. *leones rapientes & rugientes dicuntur*, ita cohibetur à Christo, ut non possit pro libidine savire, sed cogatur Apostolos ad unum omnes incolumes dimittere. Ut Christus verbo suo hostes prius prostraverat, ita eodem verbo saluum conductum discipulis impetrat; eadem ratione adhuc hodie verbo suo nos alit, regit & conservat, cum sit *verbum gratie*, eodemque hostes prosternit & conterit, cum sit etiam *verbum potentie*. Quod enim Christus in horto semel egit, illud adhuc quotidie agit, reprimit sanguinaria hostium consilia, & parat Ecclesiæ doctoribus halcyonia, ut Evangelii doctrina propagari possit. Cyrill. lib. 11. in Joh. cap. 24. *Quod in paucis factum est, quomodo in pluribus negligetur? & qui tam paucorum in tali tempore curam habuit, quomodo innumerabiles fideles non proteget.* Sicut his verbis murum quendam circumdat Apostolis, ita adhuc hodie est Ecclesiæ suæ *murus igneus* Zach. 2. v. 5. Fungitur etiam Christus boni pastoris officio, qui ad gregem suum protegendum morti sese sponte obicit Joh. 10. v. 11. atque egregium sinceræ caritatis exemplum ostendit, *que non querit sua* 1. Cor. 13. v. 5. Nos in publicis calamitatibus & periculis de nobis solum solliciti sumus, quid de reliquis fiat, parum curamus, sed sincera caritas de salute & incolumitate aliorum magis quam de propria est sollicita. Proponitur etiam in his verbis fructus passionis Christi. Ut enim Christus hoc loco capitur ac ligatur, sed discipuli interim abeunt incolumes & illæsi: Sic propter Christi passionem ex potestate Diaboli & satellitum ejus liberati sumus, *castigatio super eum, ut esset nobis pax* Esa. 53. vers. 5. Stabat Christus in medio armatorum hostium, qui gladios stringebant & catenas ipsi injiciebant, sed nihilominus etiam captus retinet & exerit suam potentiam, quia potentia & *verbum Christi non possunt ligari* 2. Tim. 2. v. 9. tradit se ipsum captivum Judæis, sed ut intelligerent illud non fieri coactè sed spontè, ideo discipulos ab omni hostili impetu liberos præstat, tradit quidem se ipsum hostibus captivum, sed majestatem ac potentiam suam minimè captivam illis tradit, quod antea ut minor Patre humiliter oraverat, id nunc ut æqualis Patri majesticè fieri mandat, ut ejusdem potentia, gloria & essentia cum Patre sese esse ostendat Joh. 10. v. 30. subjungit enim Evangelista causam hujus facti, ut scilicet impleretur sermo quem dixerat Joh. 17. vers. 12. *ex his,*

*quos dedisti mihi, non perdidisti quonquam.* Syrus juxta phrasin Hebræam notanter vertit, *non perdidisti ex eis ne unum quidem.* Apostoli nondum erant satis confirmati in fide & instructi ad patiendum, & ut Augustinus dicit, *sic nondum credebant, quomodo credunt qui non pereunt*, tract. 112. in Joh. ideo Christus infirmitati eorum voluit parcere, ne tentati supra vires æterno exitio involverentur. Rectè igitur, quod de perditione & salute spirituali Christus dixerat, ad perditionem & salutem corporalem Evangelista accommodat, quia cum perditione Apostolorum corporali tunc temporis spiritualis ac æterna perditio fuisset conjuncta, siquidem passione Christi offensi fidem in ipsum penitus procul dubio abjecissent, ut ex desertione Petri & reliquorum fuga atque scandalo manifestè colligitur. Igra existimat, verba Christi Joh. 17. v. 12. non tantum de salute discipulorum spirituali, sed etiam de salute ipsorum corporali intelligenda esse, cum paulò post exceperit. Judam qui & corporaliter & spiritualiter est perditus, ac proinde Evangelistam non discedere ab intentione literæ, quando ad corporalem Apostolorum salutem verba illa Christi accommodat. Hæc sententia satis est concinna, ut enim Christus toto ministerii sui tempore Apostolos non solum in fide informavit ad vitam æternam, sed etiam corporale præsidium mirabiliter ipsis præstitit, ita quoque voluit ex manu hostium hoc loco eos liberare, ut ministerio ipsorum in prædicatione Evangelii per totum orbem divulganda uteretur, quam in fide melius fundati sanguine suo postmodum obsignarent. Quod si illa pars orationis Christi in Apostolis est impleta, implebitur etiam altera, in qua Christus non solum pro Apostolis rogat, sed & pro illis, *qui per verbum ipsorum erant credituri* Joh. 17. vers. 20. *ut serventur à malo & sint ubi est ipse*, v. 24. Si Christi oratio fuit efficax in statu exinanitionis, quanto magis in Ecclesia erit efficax in statu exaltationis. Nec mysterio caret, quod solus Christus capitur, ligatur & ad mortem ducitur, Apostoli verò liberi abeunt, denotatum namque eo ipso fuit, quod Christus *corcular calcet solus, neque vir quisquam in hoc opere sit cum ipso*. Esa. 63. vers. 3. *Castigatio est super ipsum, ut sit nobis pax* Esa. 53. vers. 5. ipse ideo capitur, ligatur ac moritur, ut nos qui per fidem sumus discipuli ipsius ab æterno exitio reddamur liberi.

*Discipulos verbo ceu clade tueris ab omni,  
Sic verbum murus sit mihi Christe tuum.*

CAPUT CLXXXIV.  
 JUDAS OSCULO PRODITORIO CHRISTUM  
 HOSTIBUS TRADIT.

MATTH. 26. v. 48. MARC. 14. v. 44. LUC. 22. v. 47.

RATIO ORDINIS.

**O**nnexio ex textu est satis perspicua. Marcus dicit, quod Judas cum comitatu suo ad Christum veniens *εὐθέως, protinus* ad Jesum accesserit, eumque osculatus fuerit, inde quidam colligunt, osculum Judæ præmittendum esse illis, quæ Johannes commemorat, quod Christus ex hostibus quæsierit, quo fine advenerint, quemve comprehendere velint, illi verò ad unicum Christi verbum retrocesserint, & in terram procubuerint. Sed cum Johannes dicit, Christum hostibus suis *ὀβριᾶν προσέψυσε*, ex eo colligitur, sermonem illum Christi &

hostium in terram prolapsum Judæ osculo præmittendum esse. Ita statuunt Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus & Euthymius. Proinde *εὐθέως* apud Marcum vel cum quadam temporis mora accipiendum est, quo modo accipitur Matth. 13. v. 5. Johan. 13. v. 30. vel intelligendum hoc sensu, quod Judas Christo post illud colloquium appropinquans, *statim* eum fuerit osculatus. Atque hæc Historiæ series magis declarat cæcitatem hostium Christi, quod divinam ipsius virtutem in sui prostratione experti nihilominus manus nefarias ipsi injiciunt.

PRODITORIUM JUDÆ OSCULUM, QVO CHRISTUM HOSTIBUS TRADIDIT. MATTH. 26.

48. Ὁ ἢ τῷ ραββί τὸν ἑδωκεν αὐτοῖς σημεῖον, λέγων, ὃν αὐτὸν φιλήσω, αὐτὸς ὄντι κρατήσατε αὐτόν.  
 49. Καὶ εὐθέως προσελθὼν τῷ Ἰησοῦ εἶπε χαῖρε ραββί καὶ κατεφίλησεν αὐτόν.  
 50. Ὁ ἢ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ, ἐπῶρε ἐφ' ὃ πάρει; ὅτε προσελθόντες ἐπέβαλον τοὺς χεῖρας ὅτι τὸν Ἰησοῦν, καὶ ἐκράτησαν αὐτόν.

48. Is verò qui prodebat eum dedit illis signum dicens, quemcumque osculatus fuerit, ipse est, tenete eum.  
 49. Et confestim accedens ad Jesum, dixit. Ave Rabbi, & osculatus est eum.  
 50. Dixitque illi Jesus Amice, ad quid ades? Tunc accesserunt & manus interjecerunt in Jesum & ceperunt eum.

MARC. 14.

44. Δεδώκει ἢ ὁ τῷ ραββί τὸν ἑδωκεν αὐτοῖς σημεῖον, λέγων, ὃν αὐτὸν φιλήσω, αὐτὸς ὄντι κρατήσατε αὐτόν ἀπαρῶντες ἀσφαλῶς.  
 45. Καὶ ἐλθὼν εὐθέως προσελθὼν αὐτῷ λέγει, ραββί, ραββί, καὶ κατεφίλησεν αὐτόν.  
 46. Οἱ ἢ ἐπέβαλον ἐπ' αὐτόν τοὺς χεῖρας αὐτῶν καὶ ἐκράτησαν αὐτόν.

44. Dederat autem is, qui prodebat eum, commune signum illis dicens. Quemcumque osculatus fuerit, is est, comprehendite illum & abducite eum.  
 45. Et cum venisset, protinus accedit ad illum, dicitque ei, Rabbi, Rabbi. At deosculatus est eum.  
 46. Illi verò injecerunt in illum manus suas & comprehenderunt eum.

LUC. 22.

47. Καὶ ὁ Ἰούδας ἤγγισεν τῷ Ἰησοῦ φιλήσαι αὐτόν.  
 48. Ὁ ἢ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ, Ἰούδα φιλήματι τὸν υἱὸν ἔαβιώσῃς τῷ ραββί;

47. Et (Judas) appropinquavit Jesu, ut oscularetur eum.  
 48. Jesus autem dixit illi, Juda, osculo filium hominis prodidis?

DE COAGMENTATIONE CIRCUMSTANTIARUM HUIUS HISTORIÆ.

**V**erba quibus Christus Judam compellavit, Augustinus l. 3. de consensu Evangelistarum c. 5. sic ordinat, quod Christus primò dixerit: *Juda, osculo filium hominis prodidis?* ac postea subjecerit, *Amice ad quid ades?* Sed videtur prius amicè proditorem suum excepisse ac causam adventus rogasse, non quod proditoris consilium ignoraret, sed ut de gra-

vitare sceleris ipsum admoneret. Postea verò cum in proditionis scelere nefario perseverat ac ab eo revocari nollet, apertè ipsum reprehendit, dicens. *Juda, osculo Filium hominis prodidis?* Num existimas me laterè, ad quid veneris, cur osculum infigas, cuius rei hoc sit signum?

Harmonia hujus Historia.

Ὁ τῷ ραββί τὸν ἑδωκεν ( δεδώκει ) αὐτοῖς σημεῖον ὄντι αὐτὸν φιλήσω, αὐτὸς ὄντι κρατήσατε αὐτόν καὶ ἀπαρῶντες ἀσφαλῶς. Καὶ ἐλθὼν ἤγγισεν τῷ Ἰησοῦ φιλήσαι αὐτόν καὶ εὐθέως προσελθὼν αὐτῷ λέγει ( εἶπεν ) χαῖρε ραββί, ραββί καὶ κατεφίλησεν αὐτόν. Ὁ ἢ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ ἐπῶρε ἐφ' ὃ πάρει; Ἰούδα φιλήματι τὸν υἱὸν ἔαβιώσῃς τῷ ραββί; οἱ ἢ τότε προσελθόντες ἐπέβαλον τοὺς χεῖρας αὐτῶν ὅτι τὸν Ἰησοῦν καὶ ἐκράτησαν αὐτόν.

Is verò qui prodebat eum, dedit illis commune signum dicens. Quemcumque osculatus fuerit, is est, comprehendite eum & abducite eum. Et cum venisset, appropinquavit Jesu, ut oscularetur eum & protinus accedit ad illum, dicitque ei. Ave Rabbi, Rabbi, ac deosculatus est eum. Jesus autem dixit illi, Amice ad quid ades? Juda, osculo Filium hominis prodidis? Illi verò accesserunt & injecerunt manus suas in Jesum & comprehenderunt eum.